



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Appellationibus. Consilium CLXXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

nec ulla possunt esse in hac causa Venerabilis D. Officialis Namurcensis ad hanc appellationis causam ex delegatione apostolica delegati Iudicis partes, neque etiam alia eius iurisdictione, quam in declarando sibi nullam competere iurisdictionem, ac condemnando appellantes in expensis in hac causa factis. Est enim hoc rescriptum prorsus subreptitium & obreptitium, ex omnia per dictam appellantis narrationem, quod post interpositam appellationem ceperit illi parere, adeundo scholas Lovanienses, ad quas correctionis causa remissus erat, & iniunctam poenitentiam ibidem agendo.

1. Qui enim iudicatum facere incipit, etiam si primo actu non perficiat, interposita appellationi, velut ex poenitentia renuntiare censetur: quippe spontanea paritio, seu executio, prosequenda appellationis animum deponit, *c. Quod ad consultationem, De re iud.* * Sicuti & is (quod multo minus est) qui condemnatus à Iudice petit terminum seu dilationem solvendi, sententia acquiescere & beneficio appellationis renuntiare censetur, *l. ad solutionem C. eod. tit.* † Imò qui coram Iudice, à quo provocavit, comparando quemcumque actum sententia approbatorium, vel appellationi quoquo modo contrarium, aut ab eo diversum facit & explicat, idem facere intelligitur, *c. Sollicitudinem De appel. d. c. Quod ad consultationem, c. Gratum de off. & pot. iud. deleg. c. Cum venisset de testib. late Felin. in d. c. Quod ad consultationem.*

Quod quidem in proposito tanto potentius dici potest, ex eo, quod dictus appellans incepta & aliquousque perducta sua poenitentia, per plures supplices libellos apud Capitulum insisterit pro dicta sententia commutatione & moderatione, hoc est ut iniunctam poenitentiam Lovanii per visitationem scholarum peragendam, Nivelleg peragere posset, idque etiam obtinuerit, ut constet per supplices libellos partim sua manu, partim alterius ex eius mandato scriptos & Capitulo exhibitos. Quae enim quisque supplicando narrat, narrata confiteri & petitis acquiescere censetur, *l. Cum precum C. De lib. caus.* Ita ut etiam nullo facto actu executivo, qui sententia lata conformis sit, facta ab eo, qui condemnatus est, sola petitio ad obtinendum terminum seu dilationem solvendi vel parendi rei iudicatae, inducat approbationem sententiae, & ex consequenti renuntiationem appellationis, non tantum interpositae, quod nullam dubitationem habet, *d. l. ad solutionem*; sed etiam interponenda, durante scilicet adhuc tempore interponenda appellationis, si actus aliquis executivus accedat, ut eleganter tradidit Felinus, *in d. c. Quod ad consultationem.* Ut proinde multo magis constituenda sit approbatio latae sententiae, & renuntiatio iam interpositae appellationis per quemcumque actum executivum; latae sententiae conformem seu ad illius executionem tendentem; ut est in casu proposito, inchoatio poenitentiae per accessum ad locum designatae poenitentiae, & praeterea petitio & impetratio commutandae ac moderandae poenitentiae. Porissimum quod id sit velut quaedam pactio seu transactio super lata sententia, per quam constat interpositam appellationem resolveri, & Iudicis causae appellationis nullas esse partes in discutendo negotio principali, *l. Tale*

§. qui provocavit De pact. quia pro confesso habetur, qui sic petit & obtinet: adversus confessum autem nullae sunt Iudicis partes, nisi in exequendo, *l. Proinde D. ad leg. Aquil.* Et qua ratione censetur appellationi renuntiare, qui sic quoquo modo sententiae parendo petit aut impetrat; ita quoque nullitati renuntiare censetur, quae appellationi semper tacite inest, & velut in ejus ventre clauditur, *Alex. in l. 4. §. condemnatum n. 11. d. De re iudic.* Sic quod qui auctoritatem rei iudicatae per voluntariam paritionem latae sententiae superinducit, nullo modo amplius conqueri possit; obstante nimirum ei exceptione rei iudicatae, quae non tantum perimendi potestatem habet, sed etiam repellendi à limine iudicii; ut nec audiri debeat, qui rem iudicatam contra se habet, *c. l. De litis contest. lib. 6.*

Cum ergo dictus appellans renuntiatione ac paritione rei iudicatae appellationem interpositam deseruerit, idque S. D. N. Papa narrare praetermiserit; consequens est, vitio surreptionis & obreptionis laborare hoc rescriptum, illiusque vigore Venerabili D. Officiali nullam competere iurisdictionem: nam si id narratum fuisset Pontifici, rescriptum hoc delegatorium causae appellationis, quae non erat in rerum natura (extincta scilicet & resoluta per dictam renuntiationem) concessum verosimiliter non fuisset: cum nec Papa, nec Imperator suo rescripto facile velint resuscitari seu restaurari rem iudicatam, *l. 1. C. De re iud.*

Quae cum ita sint, consequitur officium & partes Venerabilis Domini Officialis esse, ut quod generaliter fit proposita exceptione rei iudicatae in prima instantia (repellere scilicet agentem à limine iudicii adversus actionem primariam, etiam si sententia actionem ipso iure non primat) hic quoque & multo magis fieri debeat adversus appellationem ipso iure per renuntiationem resolutam. Idque non obstante, quod pars appellata in ejus iurisdictione consenserit. Est enim id factum cum debitis protestationibus, & extenditur huiusmodi consensus dumtaxat ad simplicem iurisdictionem, non etiam appellationis recognitionem aut approbationem; ea in parte appellato integra manente sua defensione quacumque, & inter cetera ultroneae renuntiationis etiam ad impediendum litis ingressum: quia huiusmodi exceptiones non ipsum Iudicem, sed vel iudicium ac processum, cum in limine illius proponuntur; vel merita causae, cum post litem contestatam proponuntur, respiciunt, *d. c. 1. & ibi Doct.* quae sane omnia extra dubitationem sunt.

De Appellationibus.

S U M M A R I U M.

Appellationum termini, & desertio.

1. 5. Probare non debet quod probatum non relevat.
2. Appellationis desertio inducitur etiam ex lapsu termini per Iudicem praefixi.
3. Appellanti à Iudice praefixi termini quomodo accipiuntur.
4. Mensis quot dies habeat.
5. Apostolorum petitio omissa inducit desertionem appellationis.
7. Apostoli à singulis Iudicibus, cum plures sententiam dixerunt, petendi.

CON-

CONSILIVM CLXXXIX.

AD probandum admittere non debet Iudex quod probatum non relevaret, l. Ad probationem 1. in fin. C. de probat. l. si duo patrum §. idem Iulianus & ibi Alex. & las. De iureiur. Proinde cum quæ pro parte Iacobi Marotelle appellantis in facto propofita sunt, ejus generis sint, ut Iacobo nihil prodesse possint, ad excusandam desertionem appellationis; consequens est, ut reiecta ipsius petitione Reverendus D. Abbas decernat, se non esse hujus causæ Iudicem competentem, ob notoriam præsentis appellationis desertionem. Quod autem impertinentia & irrelevantia sint, quæ Iacobus probare offert, ita demonstratur.

Certum est appellationem non minùs deferri per lapsum temporis, quod Iudex à quo appellanti præfigit, quam per lapsum dierum seu fatalium, quæ lex seu canon præscribit, c. Cum sit Romana. Personas De appell. Guido Pape decis. 135. ita ut si Iudex appellanti præfigat terminum duorum aut quatuor mensium ad faciendam prosecutionem suæ appellationis, si interea initium prosecutionis non facit, censetur appellatio deserta, Panor. de c. & alij in d. c. personas c. Sape, c. Reversibus de appellat. Iam verò per responsum apollolorum dicto Iacobo datam constat, quod ei præfixi sint quatuor menses ad actus confectos (qui ex notorio stylo ita divisi sunt, ut prioribus duobus mensibus initium prosecutionis appellationis per arceptionem itineris ad Iudicem ad quem, vel traditionem supplicationis cursori seu sollicitatori, & duobus posterioribus mensibus de eo Iudici fides fieri debeat) * Quorum quidem duorum terminorum dispar est conditio: nam quamvis posterioris termini lapsus, si in priore peccatum non est, non inducat omnimodam desertionem, sed hoc tantum faciat negligentia appellantis in illis duobus posterioribus mensibus; si scilicet de facto initio prosecutionis, durante priore bimestri, Iudici fidem non faciat, ut Iudex à quo possit procedere ad executionem sententiæ; quæ nihilominus retractari possit, si intra terminum juris seu legis appellans causam prosequatur, & in appellationis causa obtineat, Panor. in d. c. Personas & ibi Decius nu. 10. Lud. Roman. sing. 163. Hoc nesciunt Legijæ. Bart. & Alex. in l. Præses C. de appell. nota decis. 94. alias 13. si Iudex, & 15. alias 25. si Certus De appell. in novis, & 538. alias 48. Nota si certus De appell. in antiqu. prioris tamen temporis seu bimestris lapsus, hoc est, si illo durante initium prosecutionis fiat per arceptionem itineris, vel missionem supplicationis, non inducit omnimodam desertionem; quæ per sequentem recripti impetrationem & causæ prosecutionem dilui non potest. Et hoc casu verissimum est, & obtinet, quod vulgò dicitur, terminum hominis perinde ligare ut terminum juris, d. c. Cum sit Romana c. Reprehensibilis De appell. Idque præsupponunt omnes, qui appellantem excusant ob non factam intra alios duos menses fidem diligentis prosecutionis ceptæ in primo bimestri, Doct. in d. c. Personas & alij sup. citati. Ita ut nemo sit, qui non aperte fateatur ex lapsu primi termini, qui pro inchoanda prosecutione à Iudice præscriptus est, induci desertionem appellationis.

nis, Decius in d. c. personas nu. 7-8. & 9. d. decis. nota 94.

Cum igitur ex actis primæ instantiæ non tantum non constet de initio prosecutionis factæ in primo bimestri; sed præterea etiam constet toto illo bimestri nihil actum esse, ex eo, quod M. Ioannes Gloetingham sollicitator recriptorum in Romana curia 26. Decembris anno 1566. & sic post lapsum quadrimestris à datis apollolis, triginta diebus pro sigalis mensibus computatis (ut de jure computandi sunt, cum simpliciter mensium mentio sit, Decius in c. Vbi lex de reg. iur.) non (quod plerique requirunt, Bart. in l. Cum bis sexto de verb. significat.) computatis etiam triginta & uno die pro illis mensibus, qui tot dies habent, in iudicio declaraverit se pridie illius diei, hoc est 25. Novembris accepisse ab appellante supplicationem Romam mittendam pro obtinendo recripto delegatorio; dubitandum non est, quin in plenissima desertione sit hæc appellatio. Ita ut nihil proficiat allegare, quod intra finem anni impetratum sit recriptum; eoque casu ex stylo & communi praxi permittenda sit prosecutio ulterior appellationis; non obstantem etiam executione sententiæ plenarie factæ, quodque sæpius ita iudicatum sit. Nam id verum esse agnovit Franc. van Gheele appellatus, si initium prosecutionis debito tempore, hoc est durante primo bimestri factum fuerit, non etiam si id omisum sit: quem casum in allegatione praxi, styli & consuetudinis non comprehendit; & cum non prodest huiusmodi allegatio, secundum præmissa ad præbendum admitti non debet, d. l. Ad probationem d. §. Idem Iulianus, nota decis. 98. alias 14. Licet appellatio sub tit. De appell. in novis, sed officium Domini Iudicis est, vel declarare appellationem desertam; vel (quod etiam facere potest) sententiam à qua confirmare. Ad quod faciendum prioris esse debet, quod coram Dominis Iudicibus, à quibus appellatum fuit, quæstio desertionis huius fuerit ventilata, & cum legitima causæ cognitione pronuntiatum, appellationem esse desertam: quæ sententia nulla appellatione suspensa in rem transivit iudicatam: idque adhuc postquam Iacobus ad secularis Iudicis auxilium confugiendo similem retulit sententiam, per quam ei permissa est executio.

Novissime illud quoque considerandum, aliam hic adhuc obversari desertionis causam; ex eo, quod ex actis non constet delegitima apollolorum petitione. c. Ab eo de appell. at. lib. 6. c. ult. §. quandoque 2. q. 6. Cum enim sententia à qua Iacobus appellavit sit lata à quoque Iudicibus, & in præsentia omnium fuerit appellatum, & ab omnibus appellanti sit statutus terminus juris & interim &c. non invenitur appellans in illo termino ad omnes revertis, sed ad unum tantum, qui solus etiam de apollolis respondit: * cum in appellatione à plurimum Iudicum sententia requiratur, quod ab omnibus vel conjunctim vel separatim petantur apolloli, Clem. 1. De appell. & termino ad dandum illos per Iudices assignato oporteat appellantem ad eodem redire, & cum debita instantia apollolos repetere: alioqui non redeundo, uti oportet, censetur appellationi suæ renuntiare, l. Eos §. apollolos C. de appell. c. 1. eod. tit. lib. 6. Clem. 2. §. verum eod. tit.

In con-

CONSIL. CXC.

In concursu igitur tam multorum, quæ desertionem appellationis inducunt, existimamus officium Reverendi Domini Iudicis esse, ut reiecta petitione appellantis, petentis admitti ad probandum, in clara luce juris stantis pro appellato, pronuntiet appellationem desertam, confirmando etiam priores sententias.

De Appellationibus.

SUMMARY.

In appellationis causa quis acta exhibeat.

1. *Sententia præsumitur iuste lata.*
2. *Acta exhibere debet appellans in causa appellationis.*
3. *Exemplum indicandum non est.*

CONSILIVM CXC.

FRIVOLA est, & ex magna juris ac praxis imperitia deprompta altercatio, quam fecit procurator Hesteræ de Groote appellantis, contra Matthæum de Muntere appellatum, super exhibitione actorum primæ instantiæ; ad quam faciendam appellans præfatum Matthæum compelli petit. Cum enim præsumatur pro Iudicis sententia præsertim definitiva, quod iuste & ritè lata sit, *l. ab ea parte De probat. Aliat. de præsumpt. reg. 3. q. 10.* merito onerari debet probatione iniustitiæ aut nullitatis, qui de ea conqueritur. Quod cum fieri non possit sine exhibitione actorum primæ instantiæ; consequens est, appellanti ad illorum exhibitionem teneri, præsertim quando ipse etiam in prima instantia Actoris partes sustinuit, uti eleganti distinctione decidit Guido Papæ, *decis. 20. incip. nunquid appellans;* ad quem brevitatis causa remissile in proposito sufficiat, simul & ad novissimam Concilij Tridentini reformationem; per quam hic articulus expressim est decisus, *sess. 24. de refor. cap. 20.* Nam ita decrevit, ut, quoties quis in casibus à jure permissis appellat, aut de aliquo gravamine conqueritur, teneatur omnia acta primæ instantiæ ad Iudicem appellationis expensis suis transferre; quamvis appellatus postea comparendo cegatur partem eorundem expensarum subire, si ipsidem actus uti velit, nisi aliter ex consuetudine servetur, ut videlicet ad appellantiem integrum onus pertineat. Cum ergo ex tenore supplicationis ac rescripto Venerabilis D. Officialis Cameracensis exhibitio aperte constet, præfatum Hesteram fuisse Actoricem in prima instantia; consequens est, ut secundum prædictam eadem Hesteram teneatur ad exhibitionem actorum primæ instantiæ; & propter dilatatam eorundem actorum exhibitionem, declarari debeat causam assertæ hujus appellationis esse desertam.

Neque in contrarium quicquam movere potest exemplum sententiæ per Dominum Præpositum Frigidimontis Bruxellensis latæ in causa appellationis Iacobi du Guy, contra Ægidium le loefne; atque item in causa Engelberti Boonen contra D. Petrum Curtium; quatenus in utraque decrevisse dicitur, quod acta primæ instantiæ per procuratorem appellati debuerint exhiberi: * nam principio exemplis judicandum non est, *l. Nemo C. De sentent. neque præjudicium faciunt per alium & inter alios lata sententiæ, l. Sæpe D. De re iudic.*

De Appellationibus.

331

Deinde non constat quæ fuerit ratio, cur in illis causis ita decretum fuerit: quid enim si pars appellata acta primæ instantiæ in manibus habuerit? Quid si appellatus in prima instantia non Reus, sed Actor fuerit? quibus casibus putant plerique, *Guid. Papa loco sup. cit.* iustam subesse causam, cur exhibitio actorum primæ instantiæ appellato imponi debeat. Sed leviora sunt hæc, quam quæ doctissimo Iudici latius explicari debeant.

De Appellationibus.

SUMMARY.

Appellationis desertio & illius effectus.

1. *Appellatio coram Iudice interponenda.*
2. *Appellatio extrajudicialiter interposita quando valet.*
3. *Appellatio deseritur per secundum fatalis lapsum.*
4. *Appellatione desertæ revolat iurisdictio ad Iudicem à quo.*
5. *Iudex appellationis desertæ appellatione sententiam à qua approbare potest.*
6. *Appellationis desertionis quando excludatur nullitas.*

CONSILIVM CXCI.

QUAMVIS abundè sufficiant ad obtinendam victoriam in hac appellationis causa, quæ est coram Venerabili D. Officiali Cameracensi, inter Hesteram de Groote appellantiem, & Matthæum de Muntere appellatum, quæ eleganter, me subscribente, deduxit Advocatus causæ in hac instantia, ut tamen D. Iudicem à partibus appellantis averfiorum, & ad partes appellati inclinationem habeamus, id præmittendum non esse putamus (quod ad exclusionem appellantis sine discussione iustitiæ seu articuli principalis omnino facit) quod hæc appellationis causa vel non fuerit devoluta ad Sedem Apostolicam, & sic per Venerabilem D. Officialem huiusmodi appellatio declarari debeat nulla; vel si devoluta fuit, multis modis fuerit desertæ; & ob id alterum ex duobus facere debeat Dominus Iudex, vel confirmare sententias priores, deprehensa iustitiâ causæ ex parte appellati; vel si eam deprehenderit stare pro appellante (quod non putamus) declarare huiusmodi appellationem esse desertam; & nulla ratione pro appellante iudicare, vel priores sententias retractare, idque ex rationibus infra deducendis.

De defectu devolutionis hac ratione docetur, quod ex actis secundæ instantiæ coram Dominis Iudicibus appellationum Universitatis Lovaniensis constet per eosdem Dominos Iudices latam esse sententiam; & quod ex ipsdem actis, aut aliquo alio instrumento per Notarium illius instantiæ confecto, non constet à sententia eorundem Iudicum fuisse appellatum. Equidem documentum appellationis, quod appellans in eum finem exhibuit, nihil prodest; cum appellatio non sit facta coram Iudicibus ipsis conjunctim vel divisim: & indubitatè juris sit, quod appellatio tam à sententia definitiva, quam interlocutoria sit faciendæ coram Iudice, qui sententiam vel interlocutoriam tulit, & in illius præsentia interponenda, *c. Ut debetur De appel. specul. in tit. de appel. §. qualiter vers. Item causus.* Sic ut extrajudicialis appellatio